



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Londoniis Habitum Svb Edredo Rege Totivs Angliae in natuitate
beatae Mariae virginis anno Domini DCCCCXLVIII. praesentibus Vvulstano
archiepiscopo Eborum, Odone archiepiscopo Doroberniae, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

ANNO
CHRISTI
948.

CONCILIVM LONDONIIS

HABITVM SVB EDREDO REGE TOTIVS
Angliæ in nativitate beatæ Mariæ virginis anno Do-
mini DCCCCXLVIII. præsentibus Vvulstano archiepi-
scopo Eborum, Odone archiepiscopo Doroberniae,
ceterisque episcopis, abbatibus, ducibus, & comiti-
bus; in quo agitur de negotiis regni, & confirmatur
charta regis Edredi monasterio Croylandensi facta,
quam dictauit dudum cancellarius regis Turketulus,
modo abbas ibidem constitutus, & pastorali baculo
inuestitus.

De hoc Concilio ita Ingulphus: In festo ergo nativitatis bea-
tæ Mariæ, cum vniuersi magnates regni per regium
edictum summoniti, tam archiepiscopi, & episcopi, ac
abbates, quam ceteri totius regni proceres & optimates,
Londoniis conuenissent, ad tractandum de negotiis pu-
blicis totius regni, consummatis omnibus, coram vniuer-
sis, domino Turketulo abbati, monachisque suis accer-
fatis rex Edredus dedit monasterium Croyland per char-
tam suam, dictatam ab eodem Turketulo abbe, iam-
dudum regis cancellario, consiliarioque familiarissimo,
& conscriptam in his verbis:

Pax in summa Trinitatis nomine, Patris, & Filii, &
Spiritus sancti, Amen. Ego Edredus rex terrenus sub im-
periali potentia regis sæculorum æternique principis ma-
gnæ Britanniae temporale gerens imperium, vniuersis
Christianis tam præsentibus quam posteris, salutis bene-
ficium in auctore salutis. Vobis liqueat omnibus quod,
&c. Vide chartam, si desideres, longam satis, ut pote prædia plu-
rima & libertates continentem, apud Ingulphum ipsum pag. 874.
ubi sic in fine: Stabiliui, inquit rex Edredus, in anno ab in-
carnatione Domini nostri Iesu Christi nongentesimo qua-
dragesimo octavo, in præsentia archiepiscoporum, epi-
scoporum, & procerum regni mei subscriptorum.

Ego Vvulstanus archiepiscopus Eboracensis deuotus subnotaui.

Ego Odo Dorobernensis archiepiscopus consilium & consensum
meum ad istud dedi.

Ego Alfredus Schireburnensis episcopus affectaui, &c.

Concil. Tom. 25. M

90 AGAPITVS P. II. S. LANDAVENSIS. OTTO I. IMPERATOR.
EDREDVS R. ANGLIE.

Inferius autem sic *Ingulphus*: Tandem adueniente festo
beati Bartholomxi apostoli, in præsentia regis, *Turketulus* ANNO
CHRISTI
948.
monachus factus, & statim baculo pastorali a rege dona-
tus, & ab episcopo benedictus, vniuersum monasterium
cum omnibus eius possessionibus in manum regis resigna-
uit. Qui apud London in communi Concilio coram ar-
chiepiscopis, episcopis, & totius terræ magnatibus, di-
ctum monasterium cum omnibus terris eius, tam ab an-
tiquo ei pertinentibus, quam ab eodem Turketulo noui-
ter datis ac acquisitis, dicto domino Turketulo abbatii,
monachisque suis reddidit, & cum charta sua (prout
præmissum) liberum & solutum ab omni terreno serui-
tio in perpetuam eleemosynam confirmauit, &c.

CONCILIVM ROMANVM,
IN QVO CONFIRMATA EST SYNODVS
ENGILENHEIMENSIS.

HVIVS Synodi paucis etiam meminit Flodoardus in chronicis
anno DCCCCXLIX. Agapitus, inquit, papa Synodum
habuit apud sanctum Petrum, in qua damnationem Hu-
gonis episcopi apud Ingulenheim factam confirmauit:
excommunicans etiam Hugonem principem, donec Lu-
douico regi satisfaciat.

SYNODVS LANDAVENSIS
SVB PATRE VIGESIMO QVINTO IBIDEM CIRCA
ANNVS
CHRISTI
950.
episcopo sacrilegii causa in regem Nougui in ecclesia
Mainuon congregata.

NOVGVI rex filius Guriat vastauit Arcoit filium Dis-
faith in podo Mainuon in medio Triloc podo san-
ctorum Dubricii, Teliaui, & Oudocei, per iram suam & fu-
rore nimio, & violato sanctorum refugio, episcopus Pater
congregauit clericos totius parochiæ infra Taratir & Tinii,
propter factam vim sacrilegii. Et audiens Nougui rex ad-
uentum episcopi, & conuentam Synodum negotio sacri-